



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

58. Qualiter concipienda supplicatio in impetratione beneficii vacantis ob ingressum Religionis, & hæc causa narrata justificanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

per assumptionem habitus; ingressus in religionem non nisi per professionem, seu emissionem 3. votorum substantialium solennium, intellige, extra societatem Jesu. hoc supposito,

2. Respondeo secundo: Conversum professum hoc ipso amittere per talem professionem beneficium; Conversi verò non professi beneficia, si quæ habet, non videri eo ipso per talem ingressum amitti, pari ferè ratione, quâ paulo post dicitur de Novitio; licet enim Conversus, ut ait Lott. *loc. cit. n. 18.* per transitum ad Ecclesiam regularem intelligatur vovisse, & renunciare propriis, ut *gl. in cit. c. ut lex.* possitque videri transivisse ad statum incompatibilem cum beneficio; id tamen non intelligendum, nisi quando secuta esset formaliter emissa illa obedientia monachalis, æquipollens professioni, ac si evaderet Conversus professus.

Questio 54. An vacent beneficia per ingressum monasterii, seu per Novitiatum, præcipuè, si is ultra tempus consuetum produceretur?

Respondeo ad primum negativè: seu novitium retinere sua beneficia. Castrop. *loc. cit. n. 3.* Lott. *cit. q. 26. à nu. 10. & n. 24.* cum communi, constat expresse ex *cit. c. beneficium, de regular.* siquidem ante professionem expressam seu verbalem, vel tacitam non potest prætendi status ille incompatibilis impressus; cum novitius (ut cum *gl. in cit. c. beneficium. v. conferre* inquit Nav. *conf. 4. de Sacramentis non iterand.* Sayr. *in floribus, decis. 14.*) teneat medium quandam statum inter secularem & religiosum, & sit quasi dubius de statu suo futuro. Lott. *n. 10. & 11.* adedque non tantum retinet suum beneficium, sed etiam est capax aliorum, siquæ illi conferantur. Lott. *nu. 13.* de quo postremo actum à nobis alibi. Unde etiam, sicut ingressus monasterium, receptusque ad habitum, si quidquam conferat, donetque monasterio, & mox ad seculum regrediatur, omnia donata habet ut prius, resoluta donatione, etiam citra aliquod pactum. Lott. *n. 23.* citans Nattam. *conf. 180. n. 5.* Dec. *conf. 56. nu. 5.* Rodriq. *de regular. tom. 2. q. 48. a. 12. & c.* ita etiam remanet cum suis beneficiis, etiam si ea resignavit spontè, sub iis nempe circumstantiis, de quibus *c. beneficium.* & sub ea forma & tempore, quæ præscriptæ Trid. *sess. 25. c. 16. de regular.* dicitur enim ibi; quod ea resignatio fortitura non sit effectum, nisi securâ professione, adeoque suspensa manet executio, donec facta sit professio, tamen si, factâ professione non dicatur in eo casu vacare beneficium per professionem, sed per factam resignationem ante professionem. Lott. *n. 25.* Verum an & qualiter ingressus, vel ingressurus monasterium resignare possit, de hoc infra.

Questio 55. An vacent si novitiatum produceretur ultra consuetum tempus?

Respondeo: dum absoluto consueto Novitiatum tempore is prorogaretur, non censetur adhuc vacare novitii beneficium; tum quia prorogatio Novitiatum fit cum qualitatibus sibi propriis: tum quia factâ hæc prorogatione, liberum est Novitio ad seculum redire; si autem tempore illius prorogationis amitteret beneficia, per hoc diminueretur illa libertas. Castrop. *cit. nu. 3.* citans Sanch. *in Decalog. l. 7. c. 4. n. 6.* Mandos, *in casibus Annalibus, n. 63. c. 192.* proceditque id ipsum non so-

lùm, ubi ex iusta causâ prorogaretur Novitiatum, v. g. dum ei, qui anno 14. ætatis ingressus Novitiatum absolvendum intra annum Novitiatum prorogatur ad annum 16. quia ante hunc nequit emitte- re professionem juxta Trid. non vacant illius beneficia secundo illo anno prorogati Novitiatum. Castrop. *cit. n. 3.* citans Sanch. *ubi ante.* & Lancelot. *instit. juris can. l. 1. cit. de regular. §. etsi contigerit.* Verum etiam, ubi absque causâ prorogaretur, & differretur professio; quia solum cautum, ut professione vacent beneficia. Castrop. *loc. cit. n. 4.* qui tamen ait, in hoc casu posse Episcopum, cui beneficium Novitii subijcitur, agere contra novitium tanquam illegitimè absentem, & procedere usque ad beneficii privationem, quod intelligendum de beneficiis residentiam-requiritibus.

Questio 56. Ad quem ergo spectent fructus beneficii retenti à Novitio tempore Novitiatum?

Respondeo: fructus perceptibiles ex illo beneficio in absentia, acquiruntur Novitio, utpote qui verè retinet titulum & possessionem beneficii, & is de iis tanquam de bonis propriis disponere potest. Garc. *p. 11. c. 9. nu. 28.* Castrop. *loc. cit. n. 5.* citans Sanch. *ubi ante. n. 18.* Suar. *tom. 3. de relig. l. 5. c. 16. n. 12.* In beneficiis verò iis, quæ fructus non habent in absentia, ut in Canonicatibus & præbendis, quorum fructus residendo lucrifunt, non lucrabitur Novitius interim fructus. Garc. *loc. cit. num. 31.* idem est de distributionibus quotidianis, anniversariis, & similibus personalem residentiam-requiritibus; hæc Novitio non debent concedi; quia non reputatur ut præsens; cum Novitiatum non sit ex causâ à jure expressis, ob quas absens reputari debet pro præsentem, etiam in ordine ad hunc effectum. Castrop. Suar. Garc. *loc. cit.* Porro quid sit circa electionem, & nominationem, quæ etiam sunt fructus beneficii, an vocandus, nec ne sit Novitius ad eas, dictum est *in tr. de elect.* vide Castrop. *loc. cit.*

Questio 57. Quid sit circa administrationem beneficii interea temporis?

Respondeo: beneficium novitii, si opus est (hoc est si servitium requirit) tempore probationis administrari debet per Vicarium, congruâ illi portione fructuum assignatâ. Laym. *ad c. ex transmissa. de elect. num. 4.* remittens ad seipsum *l. 3. Th. mor. tr. 5. c. 7. q. 5.* Garc. *p. 11. c. 9. n. 29.* qui etiam *n. 30.* addit, quod si curatum sit beneficium, deberet obtinere licentiam Ordinarii in scriptis, juxta decretum Trid. *sess. 23. c. 1.* & si Ordinarius nollet eam dare, esset appellandum & recurrendum ad Superiorem.

Questio 58. Qualiter concipienda supplicatio in impetratione beneficii vacantis ob ingressum religionis, & hæc causa narrata verificanda?

1. Respondeo ad primum: debet narrari ingressus monasterii vel domus regularis, ac insuper addi, talem in ea domo professionem emisisse. Lott. *l. 3. q. 26. n. 29.*

2. Respondeo ad secundum primum: debet emissio professionis verificari coram executore. Lott. *n. 30.* juxta *decis.* Gregor. 382.

3. Secun-

3. Secundo: videtur sufficere probatio semiplena per famam. Lott. n. 31. dicens, sic videri supponere dictam Gregor. decis. Et sic videri voluisse Rotam decis. 1119. n. 1. l. 3. p. 3. divers. Idque, dum ipse ingressus religionem non contradicit; jam enim agitur de nullius, vel certe modico ejus præjudicio; cum quodcumque declarata nulla professione, repetiturus sit suum beneficium. Lott. n. 32.

4. Tertio: tamen si æquè obliget professio tacita ac expressa; quia tamen longè fortior (intelligit ad generandam certitudinem) reputeretur professio verbalis, & expressa propter formalem votorum emissionem; utpote quæ non admittit exceptionem vis & metus (etiam si præcesserit protestatio, nisi cum hac qualitate, quod metus talis sit, qui cadat in virum constantem) & debiliior professio tacita, etiam quæ fit ex delatione habitus, utpote quæ non effertur ultra vim probationis præsumptæ; & hinc admittit exceptionem præexistentis metus cujusvis, de quo protestatum, ut Innoc. Abb. in c. 1. de his, quæ sunt metus causæ: hinc, inquam, pendenda diligenter sunt per impetrantes ex hac vacatione, quæ dicta sunt supra de professione tacita, Lott. n. 48. præter quæ & illud est, quod ait Lott. n. 45. citato pro hoc Gemin. in c. non solam. nu. 6. de regular. in 6. & Abb. in clem. Clerici. n. 3. licet multa sint signa, ex quibus colligitur animus profitendi, nihilominus nullum ex his attendi, si extra Conventum fiat.

Quæstio 59. An, & qualiter vacet beneficium per militiam secularem?

1. Respondeo primò: vacat ipso jure per hoc, quod quis ingreditur militiam, seu fit miles secularis. Paris. de resig. l. 1. q. 1. n. 22. Lott. l. 3. q. 26. n. 84. Gonz. gl. 14. nu. 36. & gl. 15. nu. 54. qui omnes tres citant gl. in c. ult. de Cleric. non resid. v. redierint. Gigas. de pensio. q. 55. n. 2. Julius Clar. in pr. crimin. s. fin. q. 73. &c. Item Azor. p. 2. l. 7. c. 16. q. 12. in fine. Tond. p. 2. c. 5. s. 5. nu. 19. & plenius p. 2. c. 74. n. 12. Barb. l. 3. juris Eccl. c. 14. n. 41. qui AA. omnes dant eandem rationem, quæ est in contrahente matrimonium; nempe quod talis assumendo statum illum militiæ secularis incompatibilem cum beneficio, hoc ipso censeatur habere beneficium pro derelicto, & illi tacite renunciare. quod usque adeo verum est, ut si ex integro redeat ad clericatum, non recuperet beneficium, quamvis illud nondum alteri esset collatum; quia jam per militiam fuit inducta vacatio, quæ sine nova collatione non extinguitur. Barb. loc. cit. & Ricciull. de jure personar. l. 7. c. 5. n. 17.

2. Respondeo secundo: idem procedere in beneficiato in sacris constituto; uti id inferitur ex dictis de tali contrahente matrimonium ob eandem rationem; quamvis contrarium tradat Barb. loc. cit. n. 32. ex Ricciull. ubi ante nu. 31. ubi is post multos, quos refert, resolvit, in clerico in sacris constituto non censi per hoc ipso jure inductam vacationem beneficiorum; sed magis venire inducendam per sententiam.

3. Respondeo tamen tertio: contra eundem Ricciull. in quantum apud Barb. loc. cit. nu. 19. & 20. dicit, quod etiam si talis beneficiatus, postquam fuerit in matriculam militum in scriptis poeniteat, & paucis post diebus, antequam seiva exerceat, deposito cingulo militari iterum vestes clericales reassumat, adhuc tamen dicatur recessisse à statu or-

dinis, hoc est, clericali, ita ut nova clericalis habitus reassumptio ad recuperanda beneficia, quæ ante militiam obtinebat, & per eam ipso jure vacarent, ipsi non sufficiat: limitandam videri responsionem primam; nempe quod beneficiatus per hoc præcisè non fit privatus ipso jure beneficiis, aut illis tacite renunciâsse censeatur, quod se militiæ seculari adscribi fecit, nisi insuper militiam sequatur, & arma militaria exerceat; ac proinde, dum Gl. in c. sui. de cleric. non resid. dicit, quod ex quo quis factus est miles, censeatur habere Ecclesiam pro derelicto, & quod Episcopus statim ejus beneficium conferre possit, id intelligendum cum effectu; nempe quando exercet in effectu militiam, ita ut sola descriptio non sufficiat ad privationem ipso jure. Tond. cit. c. 74. n. 13. & 15. citans pro hac limitatione Rebuff. in tr. de nominat. q. fin. nu. 18. &c. eamque confirmans ex eo, quod militia clericis solo jure positivo Ecclesiastico interdicta; quæ tamen confirmatio non est solida; cum plura prohibeantur clerico solo jure positivo Ecclesiastico, sub pœna tamen privationis ipso actu. Eandem limitationem tradit Azor. loc. cit. dum ait: si beneficiarius miles factus, ad bellum progressus, in eo dimicat, hoc ipso beneficium pro derelicto habere intelligitur, & Ordinarius potest illud alteri conferre. Idem tradere videtur Lott. loc. cit. n. 90. ubi ait, hæc quodam hanc pœnam amissionis beneficii ipso jure non ita de plano procedere intelligerem, saltem ubi ad seiva non est devenit, nisi tamen vel ipsa solius habitus clericalis abjectio hanc pœnam hodie inferret ex constituto. Sixti v. sub dato 5. idus Januarii. 1588. quæ in Bullario novo est 97. verum de hoc postremo inferius, vide tantisper de hoc Lott. cit. n. 90.

Quæstio 60. An, & qualiter vacet beneficium per captivitatem, maxime diuturnam, & apud infideles, vel incarcerationem perpetuam, quæ referri posse videntur ad mortem civilem?

1. Respondeo ad primum negativè: C. Luca. de benef. d. 16. à n. 11. neque enim Christiani, dum ab infidelibus, aut hæreticis in odium fidei capiuntur, eorum servi efficiuntur, aut jura sua civilia vel Ecclesiastica amittere censendum esse. Laym. ad c. si Episcopus. de suppl. negli. Pralat. in 6. dum autem cit. c. si Episcopus. dicitur, quod Episcopo in captivitatem redacto Ecclesia vacare censeatur, & jurisdictio ad Capitulum devolvatur, non declaratur, Ecclesiam per Episcopi captivitatem verè viduam; quia sit ita esset, disponeretur utique, eam de novo pastore, seu sponso providendam esse; jam verò in cit. c. solum adhibetur remedium provisionale, quod non solum intrat ob impedimentum resultans à captivitate, sed etiam ex quocumque alio (puta amentia vel professione Episcopi in partes remotas, non constituto vicario, ut Laym. loc. cit.) ob quod Capitulum suscipit Ecclesiæ administrationem, donec à Sede Apostolica aliud ordinetur. C. Luca. loc. cit. n. 11. licet autem tunc perinde censi debet, ac si sedes vacaret, Laym. loc. cit. & in casu hujus impedimenti adhiberi videatur & soleat terminus viduitatis; id tamen fit per quandam improprium loquendi modum; quemadmodum, etsi mulier habens virum captivum, vel etiam deportatum, aut ad triemes damnatum, aut capitaliter bannitum, reputatur vidua,